



Conradus ille in Hafsia natus & educatus, ab
 Cadolefcentia arma dilexit, & Cæſaris caſtra ſe-
 cutus magnâ rei bellicæ notitiâ acquiſiuit. In pri-
 mis uerò anno 1525 celebris factus, cum Papiæ rex
 Galliæ Franciſcus prælio ſuperatus & captus fuit.
 Nam in eo loco Conradus militum ordines duxit,
 atq; ſtrenui militis officiũ præſtitit. Poſtea cum reli-
 quis Romam occupauit, atq; ibidẽ magnas ſibi di-
 uitias comparauit. Cæſar etiam cum huius uiri uir-
 tutem intellexiſſet, eum plurimùm dilexit, & in e-
 quitum ordinem recepit. Hunc milites à patria par-
 uum Haſſum, ad differentiam principis Hafsia, ap-
 pellarunt. Pari ratione quoq; Turcicis bellis inter-

ſiuit, & anno 1532 in Vngaria ſibi magnum nomen comparauit. Vnde cum po-
 ſtea Ratiſbonæ anno 1542 Imperij ſtatus expeditionem contra Turcam decre-
 uiſſent, hic Conradus peditum primarius dux conſtitutus fuit. Ibi etiam loca
 quædam à Turcis recuperauit, atq; ſuos milites finito bello incolumes domũ
 reduxit. Poſtea quoq; in bello Smalkaldico Cæſaris partes ſecutus, animi &
 corporis uirtutes multoties declarauit. Hinc factũ ut is hodie inter primarios
 Germaniæ milites ab omnibus recenſeatur. Viuit enim adhuc ueneranda ca-
 nitiæ ſenex in oppido Sueuię Eheingẽ, quantumuis animo iuuenis eſſe uidea-
 tur. P. Iouius.